

140

ELEGIA IOANNIS VVIDMERI SALZ-

BURGENSIS, AD ERVDITOS, AC VIRTUTE PRÆSTANTES AR-
tium & Philosophiæ candidatos, Martinum Schleuff Carinthium, & Georgium Angerer
Berchtersgadensem, cum in Academia Ingolstadiensi celeberrima, Magisterij
& Doctoratus Philosophici lauream publicè consequerentur.

Veridico magnus præclarè protulit ore
Isocrates, Graij lux radiosa styli,
Quæ sint ingenuis cunabula prima Camænis,
Et qualis tandem meta sequatur eas.
Hæc etenim nobis cum scripta relinquere uellet,
Sic illum ueteres intonuisse ferunt:
Austeris claras cingi radicibus artes,
Omnis ut Hyblæi nectaris abstinet odor,
Mellifluos illum tamen inde capessere fructus,
Quem non ingratus uicerit ille sapor.
Egregium certè senis, & memorabile dictum,
Mæonio dignum non nisi uate cani.
Aurea Praxitelis merito quod litera cælet,
Sensibus atq; imis gnaua iuuenta notet.
Aspera nanq; aliud quid cõmonet obsecro radix,
Quàm sudoriferum ferre laboris onus?
Quo sine non quenquam Saturnius æquus amauit,
Lucida nec uirtus uexit ad astra potens.
Aptè nimirum sensit pater ille uerendus,
Non sua desidia uendere dona Deos,
Sed sudore graui coelestia munera Diuum
A summo nobis esse paranda Ioue.
Auspicijs igitur dias fœlicibus artes
Aggreditur, quem non feruida cura grauat.
Quem uigilare iuuat, crebro qui sudat, & alget,
Qui mala non reuult qualiacunq; pati.
Hi sunt austeri gustus radicis amaræ,
Quæ se ad Pierium surrigit usq; iugum.
Fœlices illi, fausto quoq; sydere nati,
Aptatur cupidis hæc quibus esca labris.
Quæ modo nam tristi maduuerunt felle peruncta,
Nectaræa fient protinus ecce dapes.
Scilicet Ambrosios multo cum fœnore fructus
Percipies, magnas & cumulabis opes,
Cum post perpeffos infracta mente labores
Extiterit gestis palma propinqua tuis:
Inclytus Anonius cum sustolleris ad arces,
Ingenijq; alis sydera summa petes:
Cum patrijs poteris prodesse fideliter oris,
Mentis rerum cognitione potens:

Vt possent adytum Sophiæ penetrare profundum,
Carpere & hinc ueras nobilitatis opes?
Inclytus in primis studio Martinus in omni
Conspicius tanta sedulitate fuit,
Vt uel nocturnis nunquam dubitauerit horis
Tempora nobilibus longa dicare libris.
Non etenim solas didicit fœliciter artes,
Et crebra uoluit scripta prophana manu,
Sed sacra diuini coniungere dogmata uerbi,
Protinus æqualis cura, laborq; fuit.
Nec tam magna suo caruit solertia fructu,
Plena sed immodica fertilitate fuit.
Plurima quippe sibi doctrinæ dona parauit,
Vnde perennis cum lausq; decusq; manent.
Ergo latentur patrij Martine penates,
Exultet merito lætus uterq; parens,
Tanta quod attigeris solers fastigia rerum,
Vt tenuis minime gloria surgat eis.
Tu quoq; Mæcenas, celsa qui stirpe Baronis
Inclytus à Lamberg nobile stemma trahis,
Tu, qui turriger a uitam nunc ducis in urbe,
A sale quæ sapido nobile nomen habet,
Atq; inter Canonum cultricem mysta cohortem
Præpositi summi sceptræ uerenda geris,
Tu quoq; nunc gaude, festiuâq; iubila tolle,
Quod tanta præstans sit tibi laude cliens:
Et iam crescentem celebri uirtute Magistrum
Largiter impensis perge fouere tuis.
Hoc generosa tui generis monumenta requirunt,
Hoc tua te pietas, hoc tua fama iubet:
Quam tibi magnarum dedit experientia rerum,
Totius humani docta Magistra status.
Nam quæ non fragilis documenta salubria uitæ
Vidisti, quod non passus es acre malum,
Dum longo uariis lustrares ordine gentes,
Linguarum uarios imbiberesq; sonos?
Sed tua quis digno panget præconia uersu?
Addere nemo potest lumina Solis equis.
Nunc quoq; carminibus nostrum cane Mûsa sonoris
Angrerum, uenæ pro ratione tuæ.
Nec prius hic uigiles seclustit pectore curas,
Inceptum studij quam peragrasset iter.
Nil intentatum, nihil atq; reliquit inausum,
Artis ut imbiberet gnauiter omne genus.
Et quia non illi uires natura negauit,
Sed dedit ingenium, iudiciumq; sagax,
Protinus æqualis tanto doctrina labori,
Fœcundo fructu concomitante, fuit.
Hinc sibi iam meritos decerni poscit honores:
Nanq; laboris onus iure sequatur honos.
Tu modo uiuaci præstans uirtute Georgi,
Præmia conatus quærere perge tui.
Annuet hisce tuis merito fœlicibus ausis,
Auxiliatrices porriget atq; manus,

Illustris præsul, nulli pietate secundus,
Berchtersgadenensis qui regit arua soli.
Hactenus is miti iuuat tua cepta fauore.
Non igitur similis desinet esse sui.
Sed tali potius se delectabit alumno,
Pro solita, Musas, qua pietate fouet.
Sic eius nomen semper, laudesq; manebunt,
Gloria sic eius sydera celsa petet.
Quid moror? ô iuuenes ambo uirtute uirentes,
Pergite dulce nouæ laudis inire decus.
Nam cum sint meritis encomia plurima uestris,
Immensa rigidi parta laboris ope,
Cur ea non tandem sequeretur debita merces,
Ad maius quæ uos extimularet opus?
Blanda igitur uestram pertentent gaudia mentem
Et tristem pauido soluite corde metum.
Non procul hinc aberit quæsitæ gloria fame,
Si quis uirtuti iustus habetur honos.
Non uos tam duri posthac, uelut antea, casus
Iactabunt: spes iam certa quietis adest.
Fallor? an optatis ornati rite triumphis,
Clara coruscatis iam uelut astra poli?
Aspice iam, celsis sub turribus æra dederunt,
Tibiaq; & rauca tympana uoce sonum.
Circumfusa ruit nec non primæua iuuentus,
A lternis miscens murmur a læta sonis.
Quid sibi uult talis fremitus, populosaq; turba?
Quid uic notant crebra tympana pulsa manu?
Scilicet ô iuuenes, uestros testantur honores,
Miratur uestrum tota caterua decus.
Suspiciunt omnes læti tam pulchra laborum
Præmia, quæ magni nominis omen habent.
Eia agite, ô docti generosa mente Magistri,
Edite festiuo iubila læta die.
Ferte Deo dignas toto de pectore grates,
Gratificumq; pia promite uoce melos.
Nam non illius dextro sine numine factum,
Hoc quodcunq; dedit lux hodierna decus:
Mitis ut is uobis hæc ornamenta secundet,
Pectoris ardenti sedulitate precor.
Hæc diu faxit uos nobilitate potiri,
Languescens hominum crescat ut inde salus.
Sed tamen interea uestras quoq; discite partes,
Quas nouus à uobis ille requirit honos.
Diuinas posthac defendite fortiter artes,
Si quis in has fuerit bella mouere furor.
Pellite barbariem, Musis inimica parantem
Prælia, ne quid atrox iuris habere queat.
Hæc est ingenuis dignissima cura Magistris,
Hoc ducibus mandat Cynthius ipse suis.
Sic uobis semper plenis fortuna quadrigis
Affluat, & Parcæ stamina longa trahant.
Ingolstadij excudebant Alexander & Samuel
Vuciffenhornij. M. D. LXXIII.

